



30
~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



A. M. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXI.

De
METEORIS AEREIS,
 AQUEIS, ET EMPHA-
 TICIS.

Quam,
 Annuente Altissimo,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
 Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,
GEORGIUS TECHATZIUS
 Neobrand. Megapolit.

In celeberrimã VVittebergensi Academiã,
 ad diem 6. Octobr. horis & loco solitis.

Crysoptom.

Βέλιον ἀγνοεῖν καλῶς, ἢ μανθάνειν κακῶς.

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.





V I R O

*Reverenda dignitatis, pietatis, solidaque eru-
ditionis Humanissimo maximeq;
conspicuo*

Dn. ANDREÆ TECHATZIO
Pastori Ecclesiæ, quæ est in Newnfir-
chen vigilantissimo, Dignif-
simo.

*Dn. Ut fratri & promotori, ita perpetuo obser-
vantia cultu honorando, sincerog; τῆς ὁμοπατείας
ἀδελφότητος affectu colendo, Hanc διατρι-
βὴν μετεωρολογικὴν offert, qui
supra*

Respondens.

P R A E L O Q V I U M.

Rerum apparatricem omnium & effectricem Naturam hoc in de-
sideratis maximè habere, ut opera ad unum omnia sua, quantum equidem
fieri ejus potest & concessum, perficere absolvereq; possit, & ipsa Experien-
tia, quæ ut magistra omnium rerum vulgò proclamatur, clarissimè pro testi-
monio dicit, & primæ notæ Philosophi suo candidè catoulo probant, ac plenà subscribunt
serà, Arist. lib. 4 de partib. c. 13. & lib. 1. Met. c. 1: Ratione parili non minus artes & di-
scipline, quæ sempiternam colunt & Pyladam, quæ ad imitationem, quæ ad explicatio-
nem, cum Naturâ amicitiam, ad id in flammato quasi optatu feruntur, ne parte aliqua in-
eborate, reliquo corpore inabsolutè relinquuntur, sed ut expletæ cunctis partibus, omnem,
quod dicitur, habeant numerum. Et hoc sanè ut maximâ, sic cum præsentissimâ utilitate
eorum, qui illas ipsas mente manûq; versant, rimantur, perpendunt: Ut enim nil aliud
quam inanis est frustratio laboris, viam aliquam certorum expediendorum causa negoti-
orum intrare, non eam autem finire, verùm confecto aliquo spatio mox pedem referre; Ita
qui peragrarè mente disciplinam aliquam animum induxerunt, ejusdemq; primordia sal-
tem aut summum particulam aliquam vel considerato etiam animo lustrant, nihil aliud
sibi habent promittere, quàm quod operam & oleum, sic ajunt, perdant omne. Hinc de his,
qui ita saltuatim multas disciplinas inspicunt, nullam solidè inq; totum perficiunt, exi-
miè ait autor Eximius Seneca lib. 1. Epist. 2. Certis ingenis & disciplinis immorari &
innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est,
qui ubiq; est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant,
nullas amicitias: Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant,
sed omnia cursim & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, quò
statim sumtus emittitur &c. Ex his igitur nimis est manifestarium, non tam esse operæ a-
licujus, quàm de necessitate omni, ut antequam ad alia transeamus in instituta Meteoro-
rum consideratione pergamus, earq; quæ restant adhuc in residuo in quadrum nostrum re-
digamus, ut sic Meteorologie contemplatio sit completa, sit elaborata, indeq; nos ejus Vti-
litatibus, maximis certè & uberrimis, commodum frui queamus: Dum autem pronuper e-
stitatum fuit de Meteoris in genere, & in specie de ignitis, consequens est ut hac vice de
aëreis, aqueis & Emphaticis nos sollicitos præbeamus, de quibus insequentia paucula sunt
notanda.

T H E S I S I.

Meteora aërea sunt, quæ vehementius impulsæ aëris similitudinem re-
ferunt, inq; eundem tandem evanescent: Et proveniunt, vel in aëre,
ut ventus, vel in terra cavernis, ut terramotus. Ventus est exhalatio copiosa,
siderum vi in altum sublata, & à mediæ regionis frigore detrusa, inferiorem
aërem, ne putrescere incipiat, obliquè agitans, lib. 2. Meteor. c. 4. & seq.

II. Minimè enim Ventus unum quid est & idem cum aëre: Ille enim
mixtum quid, quamquam imperfectè, hic purior est; Ille in unam mundi par-
tem irruit & certo quidem temporis tractu, hic æquabiliter nunquam non
diffunditur; Ille vehemens, hic placidus est. Et sanè si ventus aëris tantum
motio esset, uti quidam hujus sunt opinionis, tunc utiq; rectissimè colligeretur,

quamcumq; aëris impulsionem, & quocumq; modo factam, sive ruina edificij, sive fragore tonitruum, sive cali conversione, ventum fore, id quod tamen Experimentiæ testimonio destituitur.

III. Sunt q; Venti vel Regulares vel Erratici. Illi iterum vel indefiniti sunt vel statim. Indefiniti sunt, aut Cardinales, qui directè à cardinibus mundi spirant, ut Subsolanus ab ortu, Zephyrus ab occasu, Aparctias à septentrione, Auster à Meridie; Aut collaterales qui cardinalibus ad latera sunt consociati, & quidem singulis bini, Subsolano Cacia & Eurus, Zephyro Corus & Africus, Aparctiæ Aquilo & Circius, Austro demum Euro notus & Libonotus.

IV. Qualitas Ventorum horum etsi per se eadem & primitiua una sit, calida nim. & sicca: Variatur eadem tamen per accidens. Prout enim loca calida vel frigida, arida aut sicca, fetida aut amena perflant, ita illorum quoq; qualitatibus afficiuntur, illasq; tanquam proprias recipiunt: Hinc Septentrionales sunt frigidi & sicci, Australes calidi & humidi, orientales moderatè calidi & sicci, occidentales summè humidi.

V. Stati venti sunt qui certis anni temporibus spirant, ut Ornithia seu chelidonea, circa hirundinum adventum spirantes diebus 70. Etesia, post biduum exortus caniculae flantes constanter diebus 40. &c. Aristoteles horum causam assignat nives circa tempora illa liquefactas in regionibus Septentrionalibus frigidioribus, ut fiant vel vehementiores vel remissiores, prout Sol plus aut minus exhalationum resolvit, lib. 2. Meteor. c. 5.

VI. Erratici demum Venti, seu turbulenti & minus frequentes, fiunt vel per se, ut est tum Ecnephius, tempestatum nuncius indubitatus, imbrinq; præcursor, in quos excusso jam & demisso violento spiritu nubes ipsa resolvitur: Tum Turbo, qui est spiritus densus & crassus è nube violenter erumpens inq; incurrens aliam, cujus vel densitate vel cavitare angustijsq; rejectus, in gyrum conterquetur, in quem obvia quaq; etiam versat, lib. 3. Meteor. cap. 1.

VII. Vel cum pluvijs, ut Exhydria, Ventus vehementissimus, impetuosissimè cum imbribus vel grandinibus grassans, ac quævis objecta prosternens: Vel deniq; cum igne, ut Prester, qui est spiritus è nube violenter elisus, indeq; ac ob antiperistasin ignem concipiens, incendia graviss. facit, amburit, & omnia proterit. Hæc de Ventis.

VIII. Terræ motus, terribilis ille ræura conatus, fit, cum terra copioso spiritu impulsa, concutitur: Hic enim terræ cavernis inclusus, tum à calore astrorum, ac præcipue Solis, tum terræ ac proprio excitatur, & vi exitum querit,

quem

quem cum non facile inveniat, lateribus cavernarum obstantibus allisus, vi
via aperta erumpit, terramq; maximo impetu concutit, lib. 2. Meteor. c. 7.

IX. Quodq; materia hujus Meteoris talis sit spiritus terra visceribus con-
clusus, multis probatum est rationibus Philosophus: 1. Quia sereno celo & cre-
bri & magni sunt terramotus. 2. Quia noctu sapius quam interdiu. 3. Quia
in locis angustis & cavernosis frequentiores sunt.

X. 4. Contingunt ijs potiss. anni temporibus, quibus ventorum est copia.
5. Quia etiam in nostris corporibus magnos motus excitant flatus & spiritus.
6. Quia spiritus tandem erumpunt, nec cessat terramotus, nisi tota spirituum
vis exierit. 7. Quia sonus editur ante terramotum à spiritu. 8. Quia saepe acci-
dunt in Eclipsi Luna, cum venti in terra cohibentur propter frigus, quod gi-
gnit imminens defectio Luna.

XI. Forma vero terramotus, seu concussionis quatuor vulgò species re-
censentur, 1. Tremor, qui est agitatio in dextrum & sinistrum, in anteriora
& posteriora; 2. Concussio, cum terra sursum ac deorsum fertur; 3. Arietatio,
cum contrarijs ictibus quatitur; 4. Inclinatio, casus, seu ruina, cum terra in-
stat fluctus nutat, & haec species omnium est periculosissima, evertens pluri-
ma loca propter vim & impetum venti majorem.

XII. Durare potest, pro materiae copia & densitate terra, ad dies
quandoq; plusculos, interdum ad 40. imò ad integram anni periodum, vi-
riusq; signis, ut est crepitus sive fragores, quos spiritus per angustos specus im-
pulsus efficit, turbatio aquae in puteis, commotio maris nullis ventis spiranti-
bus &c. notari, & certis quibusdam locis, ut sunt loca pendentia, specus, forma-
tes &c. evitari potest.

XIII. Indicium deferti aut famis aut pestis subsequitur, ac naturaliter
contingit, ut quandoq; montes transferat, aedificia absorbeat, fluminum cur-
sum alio vertat, terra partes avellat &c. Plin. lib. 2. Nat. Hist. c. 85. & seq.
Seneca lib. 6. Nat. qq. c. 4. 29. & 50. Et haecenus breviter de Meteoris aëreis.

XIV. Porro Meteora aquea sunt, quae ex vapore oriuntur, & vel hu-
mida sunt vel in humorem ex facili vertuntur: Fiuntq; vel in mediâ aëris
regione, vel in ima. In illa potiss. generatur nubes, quae è vapore humidiori
producitur, qui cum ad mediam aëris regionem evehitur, frigiditate ipsius
densatur, & quasi congelatus visyderum pender, lib. 1. Met. c. 9.

XV. Pro materia diversitate & lucis immisione varios representat co-
lores, maxime tamen album, nigrum, rubeum, & viridem: Varièq; impelli-
tur

tur partim à motu solis, partim à ventorum vi, ac ad rotundam, quantum e-
jus fieri potest, semper se confert figuram. Et est alia sterilis, tenuis scilicet &
lucida, ideoq; ob raritatem suam vel evanescit, vel dissipatur: Alia fecunda,
nigra nimirum, & irriguo humore scatens.

XVI. Hac fecunda nubes parens est numerosa Meteororum familia,
quam tamen ducunt Pluvia & Nix: Illa est nubes in regione mediâ in a-
quam soluta, quæ vel cumulativè in cataclysmatibus, vel rotativè in rubigine,
vel guttatim in stillicidio, imbre, & nimbo delabens, rigat fecundatq; ter-
ram, lib. 1. Meteor. c. 9.

XVII. Hac est nubes ad pluviam preparata propter circumstantes fri-
gus intensissimum friabilis congelatio, & in albicantes floccos distractio, ut ijs
per hyemem arvis & frugibus quasi incubantibus, nativus eorundem calor
foveatur, Ibid. c. 11.

XIX. In imâ aëris regione aquea sunt Meteora vel in parte ejus su-
periore, ut grando, qui est pluvia, inter descendendum frigoris, per antiperi-
stasim excitati, stipatione in globulos vel granulos conglaciata, impetuoso suo
pondere frigoreq; fruges gravissimè ladens, Ibid. c. 12.

XIX. Vel in parte ejus inferiore, ut, 1. Ros, estq; vapor tenuior, qui pro-
pter caloris infirmitatem altius evehi non potest, in imâ imæ regionis parte
subsistit, & temperata noctis frigiditate in aqueam asperginem densatur, ac
tenuissimis defluit guttulis, plantasq; rigat & recreat: Species ejus tres sunt,
Manna, mel, Ladanum, Ibid. c. 10.

XX. 2. Pruina, quæ est vapor roridus, qui antequam in aquam verta-
tur intensiori frigore in salis quasi granulos constringitur, & terrâ nascenti-
bus adherescens, eadem si mediocris sit, maturat, sin minus, amburit, I-
bid. c. 10.

XXI. 3. Nebula, quæ vapor est tenuis, proximum nobis aërem obscu-
rans, qui sensim subtractus in nubem cogitur, & pluvias portendit, vel deor-
sum labens, & terris adherescens, serenitatem indicat. Ibid. c. 9. Et sic habent
etiam se Meteora aquea, quibus vulgò accensetur tractatio de fontibus, flu-
minibus, & de mari, de quâ nos hinc unum atq; alterum saltè verbum.

XXII. Fons est aqua ab aëre aut vapore ob frigiditatem condensata,
& deinde in aquam converso, genita, unde varia dimanant flumina: Ex
maris tamen aquâ per terræ cavernas penetrante ac probè percolatâ certa
erumpere flumina, certiss. est, lib. 1. Meteor. c. 3. Recipitq; fontium aqua à va-
rijs qualitibus venarum terræ, per quas quasi percolatur, varios colores, o-
dores,

dores, & sapes, indeq; & thermæ existunt, aliâq; miranda tam, quam stupenda.

XXIII. Mare est aqua Elementum portio impurior, aquarumq; omnium quæ sub cælo sunt, hospitium ac receptaculum, salsum ac amarum, dum sol partes tenuiss. & suaviss. ejus in vaporem extenuat, crassiores magisq; adustas relinquit; Ob Luna motum stato tempore fluens inde refluensq; reciproco motu, ac magnitudinem semper eandem retinens, quantum enim in ipsum unâ parte influit, tantum alterâ exit, plurimumq; ab Solis astu aquarum exhauritur consumiturq;.

XXIV. Et est aliud Vniversale, quod fastum & ampliss. terram ambitu suo serè totam cingit, vulgariq; nomine à celeritate Oceanus appellatur. Aliud particulare quod partem duntaxat orbis terrarum attingit, à quâ & nomen indispicitur suum, sic est Indicum, Aethiopicum, Britannicum, &c. Sed satis verborum: Et tantum de Meteoris hypostatitici.

XXV. Ad extremum Meteora Emphatica sunt, quæ per se non subsistunt, sed subjecto alicui inhaerent, quo sublato ipsa quoq; disparent: Hujusmodi sunt, 1. Halo, quando Solis, Lunæ vel alterius cujusdam lucidioris syderis radij in vapore aut nube, inter sydus & aspectum interposita, secundum æquales angulos circumquaq; fracti, circuli figurâ ad aspectum nostrum feruntur, lib. 3. Meteor. c. 2.

XXVI. Requiritur autem à nube vel vapore, ut sit tum totus sibi æqualis, aliâs enim non idem color appareret, neq; lumen per circulum equaliter funderetur; Tum ut sit in partes exiles comminatus, quia si partes majores essent non modò color, sed etiam syderis figura representaretur; Tum ut sit immobilis, quoniam talis ad figuram accipiendam maximè est idoneus. Signum est Halo aut pluviarum, aut ventorum, aut serenitatis.

XXVII. 2. Parelius, estq; Solis idolum in nube densâ & aquosâ per ἀνάκλασιν factum: Ac si dispositio nubium ita fert, quandoq; plures hujusmodi imagines adverti possunt, ad numerum interdum senarium; Pluviarum aliâs & hi Soles indicia sunt nimis manifesta, Seneca lib. 1. Nat. qq. cap. 13. Plin. lib. 2. Nat. H. c. 31.

XXVIII. 3. Paraseline, ac est imago Lunæ ex refractione radiorum Lunarium in nube levi & humida representata: Eundem cum parelio effectum obtinet. 4. Virgæ, quæ species sunt linearum discolorium perpendiculariter, quæ Solis radij in nube laterali, planâ & dissimiliter rarâ exhibent, & brevi pluviam subsequituram innuunt.

5. Iris,

XXIX. 5. Iris, quæ est arcus multicolor, in nube roridâ, Soli oppositâ, figura Semicirculari. Colores ejus tres numerantur, Cæruleus, ex luce & terrestri, viridis, ex leviore seu aquea materia, & demum puniceus seu rutilus, qui fit ex nubis parte densiore, seu magis tenebrosa, lib. 3. Meteor. c. 3. Seneca lib. 1. Nat. qq. c. 3. Plin lib. 2. N. H. c. 59.

XXX. Estq; aut Solaris, quæ magis conspicua & frequentior, aut Lunarîs, quæ alba & varior. Ac plerumq; una tempore uno generatur, raro dua, situ & colore discrepantes, rarissime tres simul conspiciuntur. Manifestò denotat aeris tempestatem, modò pluviam modò serenam, & quasi symbolum divina est misericordie.

XXXI. 6. Deniq; Chasma, quod cali dehiscens exhibet figuram, & quandoq; fit cum incendio, quandoq; contingit cum collustrata exhalatione se in aëre objicit nubes in medio densior, in ambitu lucidior, unde in medio quasi specus profunditas adparet, lib. 1. Meteor. c. 5.

XXXII. Cognationis quadam lege coherent cum chasmate, tum sanguinei colores, qui per collustrationem magè quàm accensionem sunt, tum fulgores, quando flamma ex tenuiore & lucidiore vapore emicat, tum ardores cali speciem ignis flagrantis exhibentes, lib. 3. Met. c. 2. Hæc de Meteoris etiam Emphaticis, sicq; primum corpus mixtum contemplatum, absoluteq; tractatum.

ADJECTANEA.

1. Venti orientales omnium sunt saluberrimi. 2. Prodigiosa pluvie sulfuris, sanguinis &c. non præter semper naturam sunt. 3. Grando quovis tempore generari potest. 4. Rore solâ quamplurima victitari animalia possunt. 5. Israëliticum Manna à Meteorologico differt. 6. Iridem antè diluvium fuisse etiam, vero non est absolum. 7. Et hæc integrum nunquam representat circulum. 8. Nec simpliciter necesse est, ut una in linea centrum Solis, oculi, & Iridis hereant. 9. Quod ab aliquibus varia animalium aliarumq; imagines rerum in nubibus notatæ fuere, illis aut à falsa imaginatione, aut à supernaturali causa obortas, credimus. 10. Bruta avesq; citius quàm homines præsentire tempestates, Veritati per omnia consentaneum est.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
DISPUTATIO
ATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XXI.

De
ORIS AEREIS,
SOPHICIS, ET EMPHATICIS.

Quam,
annuente Altissimo,
SUB PRÆSIDIO

IÆ TILLEMANNI

Colleg. Philos. Adjuncti,
civitij gratiã defendendam suscipiet,
JUS TECHATZIUS
brand. Megapolit.

in Vittebergensi Academia,
die 6. Octobr. horis 8 loco solitis.

Crysofom.
ἢ καλῶς, ἢ μὴ καλῶς.

VITTEBERGÆ
typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

